Lettres

Du Roy Charles

Par lesquelles il pardonne aux habitans de la Senechaussée de Rhodez tous les Crimes par eux cy devant commis et entre autres l'usure, et les transgressions aux ordonnances du Roy sur les Monoyes.

Du 23. X^bre^ 1389

Carolus &c. Notum facimus universis praesentibus pariter et futuris quod nos attendentes veram et inviolatam fidelitatem zeli que perfecti bonitatem quas dilecti nostri Consules et

Tresor Reg. 31. non cotté

habitatores Civitatum villarum
et Castrorum aliorumque locorum
Senescalliæ Ruthenensis ad nos et
predecessores nostros lapsis tempo=
=ribus integre servaverunt, volentes
ipsos ea propter Regalis Clementiæ
misericordia prosequi eisdem Consuli=
=bus et habitatoribus eorumque
singularibus qui alongis temporibus
Citra cum inimicis nostris conversave=
=runt, eisdemque victus hernesia equos
et alias necessitates ministrarunt
insuper proclamationes et ordinationes
super facto monetarum nostrarum
factas ipsasque transgrediendo
effectui mancipare minime Curave=
=runt, nec non Senescallis judicibus

Commissariis aut ſervientibus
nostris vel eorum locatenentibus
in Exercitio officiorum ſuorum aut
aliter vim intulerunt, ſalvas
gardias fregerunt Contractus
uſurarios Commiserunt plurima
que alia Crimina et ſcelera perpe=
=trarunt hujusmodi Conversationem
administrationem ordinationis mo=
=netarum nostrarum transgressionem
vim illatam, ſalvarum gardiarum
fractionem, usurariorum Contractuum
fruitionem et perpetrationem, et
quevis alia Crimina et delicta
per dictos Conſules et habitatores
et eorum quemlibet quoquo modo
perpetrata, esto quod in praeſentibus
non inſerantur, demptis tamen haereſis

Criminibus et lesæ Majestatis
quæ aliter poſſunt perpetrari quam
dictum est cum omni pœna corporali
Criminali pariter et Civili quas
ipſi vel aliqui eorum occaſione præ-
-missorum potuerunt quomodo libet
incurrisse ex nostris autoritate et
Regia et gratia ſpeciali quittavimus
pardonavimus et remiſimus quitta-
-mus que pardonamus et remittimus
per preſentes ipſos et eorum quem-
-libet ad ſuam bonam famam ſi
propter hoc fuerit aliqualiter deni-
-grata, patriam que et bona non
Confiscata plenarie ~~Constituentes~~
restituentes procuratoribus que
nostris preſentibus et Futuris

ſilentium perpetuum imponentes, proviſo tamen quod ipsi Conſules et habitatores et eorum quilibet a dictis Criminibus et ſimilibus de cœtero ~~providere~~ præcavere tenebuntur, e Mandamus ſeneſcallo Ruthenenſi Cœterisque justitiariis et officiariis nostris preſentibus et ſuturis ipſorum loca tenentibus et eorum Quilibet prout ad eum pertinuerit quatenus dictos Conſules et habitatores et eorumdem ſingulares noſtra preſenti gratia uti pacificè faciant et gaudere ipſos aut aliquem eorum in Contrarium ſi que facta fuerint ad ſtatum priſtinum et debitum reducant ſeu

faciant visis presentibus indilate reduci.

Quod ut firmum et stabile perpetuo perseveret presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum Salvo in aliis jure nostro et in omnibus alieno.

Datum Tholose die vigesima tertia Decembris anno Domini millesimo trecentesimo octagesimo nono, Regnique nostri Decimo.

Per Regem in suis requestis in quibus erant Episcopi Antissiodorensis et Noviomensis Gubernator Delphinatus, et

Magister Odoardus
De Molinis et nonnulli
alii de Consilio.

Charite.